LEONARDVS LAVREDANVS
D V X LXXIV.

Electus die. . . Anno 1501. Obiit die . . . An. 1519.

EPIGRAPHES ANTIQVA.

Pace cum Baiazethe Turcarum Rege conſtitutà, omnium prope Europæ Principum in Rempublicam conſpirantium arma compreſsi, liberos, & fortunas pro Reipublicæ incolumitate devovi, eo exitu, ut quum ad exemplum Romanæ conſtantiæ, atque virtutis nunquàm de Republicà deſperarim, ab omnibus Europæ Regibus oppugnatus, ac pluribus præliis penè victus, univerſo demum bello victor evaſerim.

LXXIV.

IN Venetos Orbe conſpirante univerſo, ipſis cum homine Elementis; iniuſto fœderi ſolus Deus non ſubſcripſit: imò Pro Dei ſui Iulii II. R.P. improbato decreto, ad tutelam deſcendit Reipublicæ, quæ ſola quod ore prædicat Evangelium, gladio defendit. Principem propterea deſignavit ipſe Leonardum Lauredanum, virum conſilio, prudentià, pietate inſignem, quarum unà deficiente virtutum, Reſpublica toto ab Orbe circumventa ſtare minimè poterat. Acceſsit per hos dies uxor Vladislai Panno-

niæ